



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Institutiones Canonicae Sive Ius Ecclesiasticum

Wiestner, Jacob

Monachii, 1705

Titulus XIV. De Precarijs.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-62668](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-62668)

TITULUS XIV.

De Precariis.

Rerum Ecclesiasticarum Alienatione pertractata generatim, progredimur ad quasdam ejus species seu Contractus, quibus ad ipsam pervenitur: & ne latissimè patentis materiæ profectio justa propostio nostrò prolixior sit, eam ferè notabiliorum textuum, huic & sequentibus Rubricis subjectorum explicatione constringemus.

ARTICULUS I.

De Precario.

SUMMARIUM.

1. Precarium affine Donationi: ab ista tamen diversum.
2. Et ad concedentis arbitrium revocabile est.
3. Quia tamen accipienti omnis utilitas adimatur.
4. Revocationi non obest concessio facta ad tempus.
5. Precarium à Commodo differt usu,
6. Prestatione culpe,
7. Et possessione.
8. Finitur revocatione concedentis,
9. Morte accipientis,
10. Et aliquando, non semper, obitu concedentis;
11. Et rei precario concessa venditione.

Precaria, licet idem cum Precario esse primò intuitu videantur, diversa tamen ab isto naturæ, diversæque originis sunt contractus.

Precarium enim propriè dicitur, quod precibus petentis utendum conceditur tamdiu, quamdiu is, qui concessit, patitur, *c. fin. §. 1. pr. ff. de Precario*: estque Contractus vel potius Conventio, quæ alicui petenti rei usus gratis conceditur, ad arbitrium ipsius concedentis revocandus, *l. cit. pr. §. 1. l. Ait Prator 2. §. 2. ff. Rubr. cit. §. c. fin. cit.* quantumvis enim Precarium species quædam sit liberalitatis & Contractus gratuitus, affinis Donationi: ab ista tamen eò differt; quòd donatio rei dominium transferat, & traditione semel perfectâ ferè nequeat revocari, & repeti, quod est donatum, *l. 1. ff. de Donationibus*. Precarium contra non dominium, sed usum rei transferat: eoque sic detur; ut, qui dedit, repetere semper possit, *l. 1. cit. pr. §. 2.* etiam si ad certum & definitum, sive longum sive breve, tempus fuerit concessum; quia nihilominus in potestate concedentis est, cum voluerit, etiam ante illud tempus lapsum repetere, *l. cum precario 12. ff. Rubr. cit.* dummodo tamen sine rationabili causa non confestim atque res concessa est, repetatur; cum enim beneficium non corrumpi: eoque nos adjuvari, non decipi lædique oporteat, res precario concessa, ne omnis ejus usus & commodum auferatur,

3. ratur, ei, cui concessa est, aliquò saltem temporis spatio relinqui debet, *arg. l. In commodato 17. §. 2. ff. Commodati*. Quantò autem, permittitur arbitrio iudicis: qui, si urgens necessitas exigere videatur, restitutionem etiam statim faciendam discernere potest, Panormit. *in c. fm. n. 3. Navarrus Manual. cap. 17. n. 182. Covarruvias Lib. 3. Var. cap. 15. n. 6.*
4. Neque propter hanc liberè revocandi facultatem frustranea est concessio ad certum tempus, *vg. mensem aut annum; quia precarium accipiens rem concessam retinere: eaque, si antè non revocetur, usque ad definitum tempus uti: imò, istò etiam transactò, retinere potest; quòd, si istò exactò revocatio non fiat, precarium à domino rursum concessum & renovatum censetur, l. In rebus 4. §. 4. ff. Rubr. cit. ubi Glossa V. Rursus, & Bruneman. in l. Si certò 6. ibid. n. 1.*
5. Maximè affine Precarium est Commodato, *l. 1. cit. §. fm.* cum utroque res ad usum concedatur: utrumque gratuitum sit: rei que dominium in accipientem neutro transferatur. Ab isto tamen etiam non in uno, & Imprimis quidem ac præcipuè differt; quòd Commodatò res detur ad certum usum, *vg. equus ad iter triduanum Ratisbonam, liber ad transferendum: & ante eum usum ac tempus expletum nequeat revocari, l. In commodato 17. §. 3. ff. Commodati*: Precarium autem ad indeterminatum usum & tempus concedatur: & si ad certum tempus detur, intra illud concedenti integrum semper sit, rem precariò concessam revocare, *l. In rebus 4. §. 4. l. Cum precariò 12. pr. & c. fm. cit.* Deinde differt quoad præstationem culpæ; cum, licet gratià accipientis utrumque sit, is tamen, qui rem Precariò accepit, dolum duntaxat & culpam latam præstare teneatur, *l. Quasi sum 8. §. 6. non etiam culpam levissimam aut levem, sicut is, qui Commodatum accepit, l. cit. §. 3. ff. hic*. Cuius discriminis ea ratio est; quòd, cum recipi queat ad libitum, ut exigua utilitas accipientis sit, graviorem obligationem licet in pactum deduci queat, non metetur; Haunold. *Tom. 4. de f. & f. Trah. 10. n. 771.* & Bruneman *in l. cit. n. 1.* Demum, quòd rem comodatam accipiens ejus nec naturalem nec civilem habeat possessionem: sed ista remaneat pens commodantem, qui rem datam suo animò & alterius, scilicet commodatarii, nomine ac ministeriò possidet, *l. Quod in 18. ff. Acquir. possess.* contra quàm accidit in precario; cum ad usum non solum res mobiles & immobiles, corporales & incorporales, *l. dit Precor 2. §. 3. de rebus 4. pr. l. Et habet 15. §. 2. cit.* sed etiam possessio precariò concedi roganti possit, *l. Et habet cit. §. 4. ut, qui rem sic possidet, si in possessione, non ab ipso domino seu precarii auctore, sed ab alio quocunque turbetur, Interdictò Ut possideris valeat experiri, l. cit. §. 6. & l. 1. ff. Ut possideris*. Imò eà vi dejectus etiam interdictum *Unde vi Inventare, Alexand. in l. Si quis major 41. C. de Transact. n. 10. & Menoch. Recup. remed. 15. n. 36.*
6. Quin etiam, si rem sine possessione expressa mentione rogatam precariò acciperit, eam non quidem civiliter, opinatur dominii & ut suam: sed naturaliter duntaxat, & quamdiu dominus concesserit, possidere videtur; ut, quidquid naturaliter possessori Jure conceditur, ipsi competat quod desumitur *ex l. Et habet cit. §. 4. & 5.* hujusmodi possessionem ei absolutam & sine ulla ejus rogatæ mentione tribuente, *ex l. Servus 22. §. 1. ff. de Novat. ad. & l. Pomponius 13. §. 7. ff. de Acquir. possess.* quarum priori precariò rem tenentis possessio justa: posteriori illaruptò & dissolutò precatiò, à domino recipi dicitur.

pi dicitur. Unde, cum *l. Certò 6. §. 2. ff. Rubr. cit.* precariò ad tempus in fundo moranti possessio negatur, id de civili possessione exaudiendum, vel dicendum est, naturalem quidem, sed ideo solùm negari, quòd, ut precariò in fundo solummodo ad tempus moraretur, hoc est, in ejus possessione esset, non ut eum possideret, secundum *l. Si quis ante 10. §. 1. ff. de Acquir. possess.* expressè fuerit actum, ut rectè advertunt Gomez *Lib. 2. Var. cap. 7. n. 2.* & Fachineus *Controvers. Lib. 8. cap. 16. in fine.* Alii tamen calculò frequentiori, ab eo, qui rem precariò accipit, eam sine possessione, nisi etiam hæc rogata sit, detineri, ex *cit. §. 5.* desumunt apud *cit. Haunold. n. 770.* & Gonzalez in *c. fin. cit. n. 4.*

8. Finitur Precarium imprimis revocatione, ad libitum permittitur ei, qui concessit; ut ne in pactum quidem deduci valeat, ne ab isto ante certum tempus viginti mensium aut annum revocetur, *l. Cum precariò cit. pr.* Imò hujusmodi pactio, cum naturæ Precarii istiusque contractus substantiæ & formæ repugnet, nulla est; ut ne in Commodatum quidem transeat: sed habeatur pro non adjecta, Panormit. in *c. fin. cit. n. 3.* Molina *Tract. 2. de J. & J. disp. 298. n. 3.* & Gaill. *Prætic. Lib. 2. Observat. 6. n. 3.*

9. Deinde obitu ejus, cui est concessum, ac proinde ad istius hæredes non transit, *l. cit. in fine,* quia est beneficium personale, & cum persona extinguitur, secundum *Reg. Privilegium 7. in 6.* Nisi concessio non tam personæ, quàm dignitati vig. Prelaturæ esset facta; cum enim ista non moriatur, *c. Si graciosè 5. de Rescript. in 6.* eò, qui hanc obtinet, mortuò, Precarium transit ad successorem, Panormit. *ibid. n. 5.*

10. Morte etiam concedentis expirat calu, quò ab isto usque ad suum benepla-

citum conceditur; ut concessio ipsius indeterminatæ voluntati alligetur; cum enim concedentis beneplacitum & voluntas ipsius morte cesset, precarium ad vitam concessum censetur, *arg. c. Si graciosè cit.* ut ipsa morte sine alia revocatione extingatur, *cit. Panormit. n. 6.* Molina *n. 10.* Haunold. *n. 772.* & Gonzalez *n. 9.* Extra hunc casum autem precarium concedentis obitu non extinguitur: sed eò concessa res ab ejus hæredibus, si non revocetur, precariò incipit haberi, *c. fin. cit. §. 1. ff. Rubr. cit.* cum sit gratia quædam & liberalitas, *l. 1. cit.* quæ concedentis morte non expirat, *c. Si super 9. de Offic. deleg. in 6.* sed durat, donec ab hæredibus aut successoribus revocetur, *cit. Covarruvias cap. 15. n. 3.* & Molina *n. 8.*

Quin etiam, si precariò rogatus, **II.** rem ita concessam alienavit, precarium non solvitur: nisi ab emptore revocetur; hoc enim si non fiat, ab isto res precariò haberi incipit perinde, ac si ipsi concessa fuisset, *c. fin. cit. §. 1. ff. Rubr. cit. §. 2. cit.* Molina *num. 19.* & Haunold. *n. 772.*

ARTICULUS II.

De Precariis seu Precaria.

SUMMARIUM.

12. Preciarum olim frequens usus:
13. Origo seu nomenclatio:
14. Natura ac diuturnitas concessionis.
15. Perpetua hodie non sunt.
16. Differentia Preciarum à Precario,
17. Et à contractu Emphyteutico.
18. Exigunt quinquennalem renovationem:

Kk

19. Non

19. *Non etiam vel Ecclesiastica prescri-
ptas solemnitates,*
20. *Quas prima concessio requirit.*
12. **F**requentem in Ecclesia, præsertim Gallicana, Precariarum concessionem olim fuisse, si aliunde non constaret, abunde testarentur Concilia Agathense *can. 58.* Epaunenſe *can. 18.* Aurelianense IV. *can. 36.* aliique VV. Canones, uti & Caroli M. Capitular. *Lib. 5. cap. 3. & Lib. 7. cap. 104.*
13. Originem autem suam, vel potius nomenclationem aut formam Precariarum debent Juri Ecclesiastico, à Precibus, sicut Precarium, sic etiam ipsas (vel potius à charta Ecclesiæ porrecta, quæ Precaria vel Precatoria dicebatur, & rerum Ecclesiasticarum precariæ concessionis postulationem continebat) appellanti, ut colligitur ex Marculph. *Lib. 2. Formul. cap. 5.* & Synodi Rhemensis celebratæ sub Carolo *can. 37.* ibi, *De his, quæ per Precatoriam ab Ecclesia impetrantur.* Ab iisdem Precibus nomen etiam Precariæ inditum, patet ex Concil. Tolet. VI. *can. 5.* verbis, *Qui de rebus Ecclesiæ Episcopi percepit largitate, sub Precariæ nomine professionem scribere debet.* Unde Precaria à Precariis terminatione duntaxat & numero, non significatione differre, haud immeritò visa est Panormit. *in c. 1. n. 3.* & Tholosan. *Syntag. Lib. 23. cap. 2. n. 5.*
14. Sunt autem Precariæ seu Precaria Contractus, quò rei immobilis, & ferè soli, usus alicui roganti, ad quinquennium vel ad vitam accipientis, vel aliud certum & determinatum tempus sub annuo censu, vel alio onere, vel etiam remunerationis causâ, eò pacto conceditur; ut si concessionis tempus quinquennium sit diuturnius, ne istius longinquitate illius memoria intereat, *can. Longinquitate 61. can. Sape 69. Ec. 12. q. 2.* renovari sim-
- gulis quinquenniis debeat, *can. Precaria 10. q. 2. & c. 1. hic:* & finitò concessio- nis tempore, cum omnibus suis incrementis ad Ecclesiam revertatur. Ita ex com- mani & magis recepto DD. sensu Gon- zalez *in c. 1. cit. n. 4. & 9.* sub cuius finem cum Gibalino *Lib. 4. de Usuria cap. 2. art. 6.* notat casu, quò ille, qui res suæ Ecclesiæ donavit, earum usum fructum per Precariam peteret, ad vitam: casu autem, quò in Precarias darentur res ab Ecclesia aliunde comparatæ, eas ad quinquennium vel aliud certum tempus concessio- nis sue fuisse.
- Perpetuas esse posse, cum cit. Panormit. tradunt Molina *Tract. 2. de P. 7. disp. 298. n. 20.* & Pirhing *ad l. Rubric. n. 10.* & tales aliquando fuisse ob- sumi videtur ex decretis imprimis Jo- annis IX, teste Baronio *ad annum Christi 904.* ne tales saltem in posterum essent, statuentis: dein Gregorii VII. & demum Urbani II. eas, ne perpetuas esse præsi- merentur, de quinquennio in quinquen- nium renovari, præcipientis 1096, in Concilio Turonensi, teste Gonzalez *n. 1. cit. n. 10.* cuius textu, ex Concilio E- luacensis *can. 13.* desumptò, & in Con- cilio Meldensis *can. 22.* translato, idem est constitutum. Unde
- Patet Precariis valde affines esse con- tractus Precarii & Emphyteuticos: à quibus tamen multum: & à priori quidem differunt; quòd per ipsas res immobiles prædia, fundi &c. ferè ad certum tem- pus, ante cuius lapsum revocari neque- ant, & sub censu vel alio simili & con- cessionis renovandæ onere: & non, ut per Precarium, etiam mobiles: neque merè gratuito & sine ulla stabilitate atque renovandi obligatione concedantur. À posteriori autem sive Emphyteuticis ipsi- simillimò contractu differunt; quòd con- cedantur semper ad preces, & aliquando de Eccle-

De Ecclesia bene merito remunerationis causa ad quinquennium: & quando ad longius tempus conceduntur, ad concessionis & domini penes Ecclesiam remanentis memoriam conservandam, singulis quinquenniis sint renovanda, Panormit.

28. *cit. n. 3. Barbola in hanc Rubric. n. 8. & Gonzalez l. cit. n. 4.* Quam quinquennalem renovationem si non petat is, cui res per Precarias sunt concessa, jure suo cadit ferè, sicut feudum amittit vasallus, si à novo domino non petat investituram, Feud. *Lib. 2. cap. 9. §. 1.* aut liberti Ecclesiae, se de istius familia esse sub novo Pontifice non profitentes, ad servitutem revocabantur, *can. Longinquitate cit. Panormit. l. ut n. 5. & cit. Barbola n. 10.*

Superest dubium & difficultas, an 29. Precariae modernò Jure exigant solemnitates, rerum Ecclesiasticarum alienationi praemittendas. Non quidem in renovatione quinquennali; cum enim ista post legitime factam rei immobilis concessionem debita: & ad istius memoriam refque dominium Ecclesiae conservandum Jure introducta sit. & propterea istius conditionem reddat meliorem, utique non exigit solemnitates sacris Canonibus praescriptas actibus, qui in Ecclesiarum damnum possunt & saepe solent redundare. Confirmatur paritate feudi; quantumvis enim Praelatus Ecclesiae suae res infeudare sine solemnitatibus prohibeatur, ei tamen, quò minus feudum antiquum renovare valeat, neque Jura neque juramentum de non alienando obstant, *c. Ex parte 2. de Feudis*, ubi Interpp. & alii DD.

Primam etiam ipsarum concessionem sine solemnitate fieri à Praelatis posse, desumi videtur ex *can. Saepe cit. & can. Clerici, 16. q. 3.* ubi Episcopo Precarias concedendi facultas adstruitur: & quidem libera, ut existimat Calvinus *Lexic. Jurid. V. Precaria*, pro indubitato ha-

bens, Precarias ab Ecclesiarum Praelatis excogitatas in fraudem sacrorum Canonum, rerum Ecclesiasticarum alienationem prohibentium.

Sed hac in re J.C.T.⁹ iste divinat, & 20. à vero recedit, partim; quia non ita, ut supponit, libera Praelatis est concessio Precariorum; cum enim per eas concessa rei dominium quidem & proprietates penes Ecclesiam remaneat: sed ea utendi fructuque jus in beneficiarium ad longum, & aliquando ad totius vitae tempus atque irrevocabiliter transferatur, *can. Saepe cit. & can. Precaria V Si autem, 10. q. 2. Barbola ad hanc Rubric. n. 6.* species quaedam sunt alienationis; ac proinde solemnitates non minus exigunt, quàm ceterae rerum Ecclesiasticarum alienationes: & sine iis vel absque justa causa, ac proinde irrationabiliter à Praelatis concessas res istorum successores ad Ecclesiae jus revocare jubentur *c. Precaria 2.* Unde in contrarium allegatos textus de casu, quò justa causa & solemnitas intervenit, accipientes *cit. Gonzalez n. 7.* observat: partim; quia Precarias à pietate Fidelium in gratiarum actionem pro illustri victoria, à Clodoveo Francorum Rege, Religione in Christum magis quàm armis ad Tolbiacum obtenta, bona sua Ecclesiis offerentium; & vicissim, ne egestate laborarent, eadem vel alias res Ecclesiasticas, ad vitam in modum beneficii recipientium ortas, & postea conservatas, ex Beato Rhenano *Lib. 2. Rerum Germanicarum ostendit Tholos. cit. cap. 2. n. 5.* & satis constat ex LL. Aleman. *Tit. 11. Verbis, Si quis liber res suas ad Ecclesiam Dei dederit &c. & post hac à pastore Ecclesiae per beneficium susceperit, ad vitalem necessitatem conquirendam diebus vitae suae &c. quod spondit, persolvat ad Ecclesiam censum de illa terra.* Quibus similia in LL. Bajuvar. *Tit. 1. cap. 1.* habentur. Aliam Precariorum vel introductorum vel

usu receptorum, rationem reddit Gibalinus, eas ad rerum Ecclesiasticarum dirptionem evitandam inventas aut propagatas, perhibens *cit. cap. 2. art. 2.* Unde

quam Calvinus *l. cit.* non dubiam censet vana & non satis æquò in Prælatos Ecclesiasticos studio excogitata videtur Originæ Preciariorum.

TITVLVS XV.

De Commodato.

SUMMARIUM.

1. Etymon & natura Commodati :
2. Quò res ad certum usum & tempus conceditur :
3. Ut ante non possit revocari.
4. Eius differentia à Mutuo :
5. A Deposito & Locatione.
6. Commodantur res etiam immobiles, incorporales & alienæ :
7. Quas Commodatarius in specie,
8. Cum fructibus & accessoriis restituit,
9. Earum interitum & deteriorationem præstat,
10. Non quidem, si pereant vel deteriorentur casu,
11. Saltem spectatò communi Jure & Regulariter :
12. Sed, si id culpâ, etiam levis simâ fiat :
13. Nisi res commodataris simul & commodantis.
14. Vel istius solius gratiâ sit commodata.
15. Pupillus tamen ex culpa solùm lata tenetur.
16. Commodatum retineri nequit in debiti compensationem :
17. Nisi aliquando pro expensis factis in ejus conservationem,
18. Commodatum ante usum & tempus expletum non revocatur :
19. Nisi eò aquè vel magis indigeat commodans :
20. Etsi hoc etiam casu donatum non repetatur.

Simile Precario est Commodatum, sic dictum; quòd sit accipientis commodo, Glossa in *c. Unic. V. Commodatum*, sive ad ejus usum & gratiâ datum; Commodatum enim est Contractus, quò res ad certum usum & tempus gratis eâ lege conceditur; ut illi finitò eadem in specie restitatur, Glossa *cit.* & ex communi aliorum DD. sentit Hostiens. in *Summa hic n. 1.* Lessius *Lib. 2. de J. & J. cap. 27. n. 4.* & Haunold. *Tom. 4. de J. & J. tract. 10. n. 715.*

Dico, *Ad certum usum & tempus*. Primò; quia, sicut Precariò, sic etiam Commodatò in accipientem non transfertur rei dominium: imò contrò, quàm in illo aliquando contingit, *l. Et habet §. 4. ff. de Precario*, nec possessio; cum illa, tam naturalis quàm civilis, per se commodantem remaneat, *l. Res commodate §. 1. Nemo §. ff. Commodati*. Secundò; quia, licet, sicut precariò, sic etiam commodatò data res ad usum & gratiâ concedatur, rei que traditione periciatur, usus tamen, ad quem res commodatur, certus est ac specialis, vs. equi ad iter. Ratio